

2195

LITURGICI

2196

DCCCCXXII.

- C. 954 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 334. in 8^{vo}. luculente exaratus, literis initiorum, et marginibus passim auro, coloribusque illustratus, accedentibus Iconibus XXXIX. picturatis, adlatus e Parthenone *Halensi Tyroleos*, ubi teste manu praevia quondam *Magdalenae* Archid. filiae *Ferdinandi* I. Imp. a. 1590. defunctae fuit, varia continet Pietatis Exercitia: puta Preces matutinas, Horas de Passione Domini, de *Maria* compatiante, ad Missae Sacrificium, Psalms *Poenitentiales* cum Litanis, Officium Defunctorum, demum Orationes ad varios Coelites. Multa ex his privato ingenio elaborata pro nota aevi simplicitate piis fabellis nituntur. Ita fol. 119. malus *Genius* S. *Bernardum* a. 1389. octo versus e Psalmo *Illumina oculos* &c. docuit; fol. 161. *christus* cruci affixus V. Psalms oravit, et quae sunt ejusmodi commenta. Ceterum non desunt, quae notent vetustioris Linguae Cultores.

DCCCCXXIII.

- C. 955 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 197. 8^{vo}. maj. nitidissime perscriptus, praeterque Literas initiorum et margines mira florum, animaliumque varietate speciosos exhibens Icones sacras XXI. insigni prorsus penicillo depictas, adlatus e Parthenone *Halensi Tyroleos* varia Pietatis Exercitia complectitur, inter quae
Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

non pauca incertis revelationibus, traditionibusque nituntur, quas aetas rudior avide arripuit. *Calendarium* praemissum, praeter Signa Zodiaci et Georgica, ad naturam adumbrata habet, quae Regnum vegetabile singulis mensibus proferre solet. In hoc *Calendario* *Kunegundis* Martio, *Udalricus* et *Arbogastus* Julio, *Sebalus* Augusto miniati sunt. Prae cum initium ducitur a *Curfu* B. V. *Mariae*, succedunt aliae ad S. *Trinitatem*, *Christum* patientem, *Deiparam*, *Missae* et *Officium* pro *Defunctis* &c. Librum in usum magnae cujusdam Principis exaratum fuisse, suadet Icon fol. 89. p. 2. ejusmodi *Matronam* arae adgeniculantem cum *Gynaece* suo exhibens. Adstant *Adolescentes* duo, ut videtur, *Filii*; adstat et *Morio* aulicus habitu flavo, caeruleoque, eo prorsus, quo in *Codice* DCCCCLI. ad *Aulam Bavariacam* pertinente depictus ad mensem *Majum* comparet. In *Icone* fol. 129. p. 2. eandem *Matronam*, eosdemque *Adolescentes* ad lectum *Moribundi* assistere, credibile est; hic vero quaedam etiam *Sanctimonialis* adgeniculatur. *Anne* *Moribundi* *Familia*? Juvat demum observare formam qua *Pictor* fol. 124. p. 2. *S. Spiritum* exhibuit. *Virum* vides juvenem alatum veste talos tegente rubescente, cui, stola angusta purpurea injecta est. Ejusmodi praesentationibus interdixit, ut notum est, *Benedictus* XIV. P. M.

D d

Ad